

§. VIII. OTTO, cognomine *diues*, reliqua patris ditione inter fratres (b) diuisa, ipse Marchionatum *Misnensem*, quod maximus natus esset, accepit. Factum est an. 1171. ut auriga lapidem, plumbi & argenti copia praegnantem, casuque repertum, ex itinere Misnico secum veheret Goslariam. Cognoscitur praestantia eius a metallifossoribus, qui *Cellerfeldae* in vicinia Metallurgicam exercebant. Horum aliqui in Misniam propterea se conferunt, ubi, thesauro principi indicato, *metallifodinae* aperiuntur, operis ad inuidiam vniuersae fere Germaniae succedentibus. Quantis autem diuitiis exinde polleret noster; infelix tamen fuit. A primogenito filio, quod huic alterum natus praeferebat in diuisione ditionum, captius in carcere ac vinculis detentus; imperio autem Caesaris liberatus, moritur 1189.

*Aliam nunc faciem induit diues Misnia.* a) Metallifodinae *Friburgenses* auspicia fortunatissima sumunt; b) *Lipsia*, *Friburgum*, urbes aliae instaurantur; c) thesaurus principis ultra XXX. millia pondo argenti aestimatur; d) praedia & praefecturae plurimae, in vicina Thuringia maxime emtionis (c) iure, Misniae accedunt. Cum, excluso a maxima provinciarum parte primogenito, parens alterum natus ad successionem destinauerit: plura exinde fiunt manifesta: a) ius primogeniturae tum nondum receptum fuisse; b) in arbitratu possessoris stetit, de ordine successionis per testamenta disponere. Neque enim ullum scriptorem nostrum principem propterea iniustitiae arguisse, reperio. Q. an ius metallorum, quod vulgo dicitur, tum fuerit inter regalia Imperatoris (d)?

A a 4

§. IX.

(b) Dietericum pater constituebat Marchionem *Lusatiae & Landsbergi*, Henricum Comitem *Wettini*, Dedonem Crassum Comitem de *Roßnitz*, Fridericum Comitem *Brenensem*, huius posteritas in Ottone III. Com. *Brenae* 1290. demum est extincta.

(c) Hinc bellum ortum inter ipsum & Ludouicum, Landgrauium Thuringiae. Quia Otto noster multa castra ac praedia Thuringiae sine consensu Landgrauii emerat, quae iste ceu dominus directus iterum reuocauit.

(d) Certe non reperitur, postulato Caesaris in nouiter reperta Misniae metalla, Marchiones quicquam concessisse.